Sigismundus

Ossętowski Stanislai Felix omen.

FELIX OMEN

Admodum R̃n̄do Domino,

D. M. SIGISMVNDO GREGEROWIC,

Collegæ Maiori, S. Theologiæ BACCALAVREO,

Ac eiuſdem Ordinario Profeſſori, Canonico, & Concionatori S. ANNÆ, Scholaſtico Moſcorouienſi, Prouiſori Contubernij Zizaniani.

DVM

Theologicas materias, & inprimis Epiſtolas Canonicas D. PAVLI explanare feliciter in Lycæo Theologico D. IAGELLONIS aggrederetur.

PRECATVR.

M. STANISLAVS OSSĘDOWSKI,
Senior Contubernij Zizaniani, Profeſſor Rhetor. Nowodwor. Collega Minor.

ANNO SALVTIS, M.DC.XXXX.

CRACOVIÆ, Ex Officina Typograph: Franciſci Cæſarij.

IN STEMMA.



EPIGRAMMA.

Vngula, Crux, iaculum: meritò tibi ſtemma dederunt,
Contendis Myſtes, his meruiſſe Deo.
Conculeas ſoleâ, Chriſti Cruce Tartara terres,
Telis diuinis, Conficis Hæreticos.

ODE
DICOLOS
DISTROPHOS.

ALta petit virtus, meritis cælumq́ recludit:
Et cum Deo Thronum occupat.
Calcatis terris. Cælo caput inserit alto,
Contenta non nisi Deo
Macte animo, certâ virtute duce, omine fausto,
Fauente Cæli curiâ.
I SIGSMVNDE GREGEROWIC, *I Magne Sa-*
Quò Te vehit virtus Tua. (cerdos,
Ecce Tibi Pietas ingens Tua, & ecce Labores,
Duri, graues, & anxij,
Limen honorificum pandunt ad Summa Tonantis,
Deprædicanda dogmata.
Eia age iam diuinior, eia feraris in altum,
Leuatus imo de solo.
Insuetis pennis homini, pete sydera præpes,
Iam iam Deo propinquior.

Quæ modò tractâsti Doctor, studia alta Sophiæ:
Iam pone, iam relinquito.
Ingenijs magnis aliorum. Linque Magistris,
Iam iam Sophorum pulpita.
Exedram conscende nouam. Cathedrâq; supremâ
Tona Tonantem, prædica.
Nec iam quid natura velit? quid claudat ad intra?
Euolue. Sed Deum explica.
Atq; voluntates ipsius, Cælite Suadâ;
Dei Fideles edoce.
Quid poscat Deus à nobis? quid debeat illi
Orbis? profare, nuntia:
Crimina, quæ mentes fuscant, & gurgite mergunt:
Iam detona, defulmina.
Horreat Infernus, Cæli lætentur: & Orbis
Tonante Te surgat Polo.
Moribus integris, Pietate, & dogmate Mystes,
Plebem doce Fidelium.
Expleuisse Dei Leges. Vrgentiùs instant,
Exempla nam, quàm Dogmata.
Ingero sed quid ego Mystæ almis auribus isthæc?
An indiges Tu calcari?

Vltro

Vltrò sponte Tuâ qui comples omnia plenè,
Quæ vis Popellus expleat.
Cuncta facis, quæcunq; doces: & niteris ipsum,
Matris Academiæ Patrem,
Vestigare Tuis comes ô virtutibus altis,
Diuum (prout par) CANTIVM.
Cuius vt exemplò mouearis ad ardua quæq;,
Medullitùs Tibi precor.
Nec tantùm summos titulos Tibi grator honorum,
Tibi Parens Academia,
Pro meritis quos læta parat: quantum apprecor: in Te
Vt Sanctitas reluceat.
Perge bonis auibus, meritis dum crescis honorum,
SIGSMVNDE cælo crescere.
Doctrinâ, vitâq; simul, bone pergito Mystes,
Redintegrare sydera,
Quasq; Polo tulit Angelus, expleuisse ruinas,
Contende Mystes mentibus.
Hoc Zizaniadæ mecum Tibi pectore toto,
Mystes precantur Inclyte.
Vnà quos semper Patronus protege mecum,
Rogat Cohors Clientium.

APOSTROPHE
D. IOANNIS CANTII.

Ad Admodum Reuerendum Dominum,

SIGISMVNDVM GREGEROWIC,
COLLEGAM MAIOREM, S. Th. BACCALAVREVM,
Canonicum & Concionatorem S. ANNÆ.
Scholaſticum Moſcorouien. Prouiſorem Contubernij Zizaniani.

CVM
Tranſiret ad Eccleſiam S. FLORIANI Canonicatus honores prenſaturus.

SIGSMVNDE pergis à CANTIO!
Et à Parente Virginis!
Ad FLORIANVM, nec morâ,
Te fers GREGEROVI meus!
O perge, perge, perge, poſt
Hyemes laborum aſperrimas,
Cum FLORIANO floſculos,
Legiſſe: Chriſti in Hortulo.
Sertum relaturus polo,
Lecturus & fructus bonos.
Poſt tot labores arduos
Quos vineâ Chriſti ſubis. Ada-

Adamante duro ſcripſimus
Cælo: Dei pro gloriâ
Noſtraq́ue: quicquid feceris
Te in Patriâ æterna manet.
Iam iam vale, vale, vale,
Meus GREGEROVI vale.
Et vt ſoles memor tui,
Fac ſemper eſto CANTII.
Ego Tui coram Deo,
Ero memor IESV meo,
SIGSMVNDE dic,
Quæuis mihi?
Dicam det vt Deus Tibi
Orabo det Deus Tibi.



Snb Auspiciis felicibus Magnifici ac Clarissimi Domini, D.

MATTHIÆ WONIEYSKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, In Alma Academia Crac: studij Generalis,

VIGILANTISSIMI RECTORIS.

VRBIS CRACOVIENSIS SENATORIS MERITISSIMI.